



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Santos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. An azimus aut fermentatus esse debeat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

132 TRACTATUS IV.

materia sufficiens Sacramenti Eucharistiae?

Resp. Videtur quod cum si ligo sit species tritici quamvis minus perfecta, possit esse mate-

D. Tho. 3. p. 74. art. 3. ad 2^o ria sufficiens hujus Sacramenti: *Si qua frumenta sunt*, ait Divus Thomas, *qua ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur filio)* ex tali frumento Panis confectus potest esse materia hujus Sacramenti: Convenit tamen venerationi tanto Sacramento debitae, ut purum triticum adhibeatur.

Quæst. 5. Est-ne necesse ad validatem hujus Sacramenti, ut Panis confectus sit cum aqua naturali, & igne coctus?

Resp. Absolutè requiritur: alias enim non esset Panis, qui est materia hujus Sacramenti: nam ut ait sanctus Cyprianus relatus in Canone: *Nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & Panis unius compage solidatum.* Quare dicit Glossa ibidem verbo: *Nisi utrumque: Quid si ex melle, vel alio liquore fuerit farina aspersa: numquid transubstantiatur ille Panis in Corpus Christi?* Non.

Quæst. 6. Quilibet Panis triticeus, sive sit Azimus, sive fermentatus, est-ne materia hujus Sacramenti?

Resp. Est materia sufficiens ad ejus validitatem, ut dicitur in Concilio Florentino in Decreto unionis Græcorum. Item in Azimo, sive fermentato Pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere: unumquemque scilicet juxta sua Ecclesia sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

Non est de necessitate Sacramenti, inquit Divus Thomas, *quod Panis sit Azimus vel*

Can. Sic in
sanctificando.
De Consecr.
dist. 2,

D. Tho. 3. p.
q. 74. art. 4.
in corp.

De Sacram. Euchar. Cap. II. 133

fermentatus ; quia in unoquoque confici potest.
Conveniens autem est ut unusquisque servet
ritum sua Ecclesia in Sacramenti celebratione.
Super hoc autem sunt diversa Ecclesia consue-
tudines : unde sicut peccat Presbyter in Eccle-
sia Latinorum celebrans de Pane fermentato,
ita peccaret Presbyter Graecus in Ecclesia Gra-
corum celebrans de Pane Azimo , quasi per-
vertens Ecclesia sua Ritum.

Si igitur Presbyter Latinus esset in aliqua
Ecclesia Graecorum : aut ibi esset ut advena,
& peregrinus transeunter , aut domicilium ibi
constituit animo residendi : Si primo modo,
uti deberet Azimo , quamvis celebraret in Ec-
clesia Graecorum , & nulla esset Ecclesia Latini-
orum ; si verò secundo modo , deberet uti
fermentato , nisi esset in eo loco aliqua Latini-
orum Ecclesia. Quod si esset , posset uti Pane
Azimo , modò omne abesset scandalum. Et
idem dici posse videtur de Sacerdote Graeco
respectivè.

*Quæst. 7. Agresta & Mustum sunt-ne
materia sufficiens consecrationis sanguinis
Christi ?*

*Resp. Dicendum , cum Divo Thoma , quod D. Tho. 3. p³
Agresta est in via generationis , & ideo non- q. 74. art. 1.
dum habet speciem vini ; & propter hoc de ea ad 3.
non potest confici hoc Sacramentum. Mustum
autem jam habet speciem vini ; & ideo de
Musto potest confici hoc Sacramentum. Prohi-
betur etiam ne Mustum statim expressum in
Calice offeratur , quia hoc est indecens propter
impuritatem Musti , potest tamen in necessitate
fieri. Dicitur enim ab eodem Julio Papa : si
necessese fuerit , botrus in Calice comprimatur.*

*Quæst. 8. Potest-ne de aceto confici hoc
Sacramentum ?*

Resp. Ex eodem Angelico Doctore ibidem